

**De varicocele : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet auctor
Aemilius Stachelscheid ; opponentibus F. Fonck, G. Sarrazin, H. Martin.**

Contributors

Stachelscheid, Emil, 1826-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis fratrum Schlesinger, [1851]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r5ggdv2y>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
V A R I C O C E L E.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI TRIBUANTUR
DIE XXII. M. AUGUSTI A. MDCCCLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
AEMILIUS STACHELSCHIED
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. FONCK, med. et chir. Dr.
G. SARRAZIN, med. et chir. Dr.
H. MARTIN, jur Stud.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

V A R I C O C E L L E
D E

D I S S E R T A T I O

I N A U G U R A L I S M E D I C A E

Q U A M

C O N S E N S U E T A U C T O R I T A T E

G R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S

I N

A L M A L I T T E R A R U M U N I V E R S I T A T E

F R I D E R I C A G U L L E L M A

U T S U M M I

I N M E D I C I N A E T C H I R U R G I A E H O N O R E S

R I T E S I B I T R I B U A N T U R

D I E X I I I . M . A U G U S T I . A . M D C C C L I I

H . L . G . R .

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

A E M I L I U S S T A C H E L S C H E I D

G E S T R I A N U S

O P P O N E N T I B U S

F. H. G. med. et chir. Dr.
G. S. G. med. et chir. Dr.
H. B. G. in. med.

R E G I M I N I

T Y P I S K A E T H E R I C I S S C H I N G E R

HASCE

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

AD CINERES COLENDO

FILII

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

6

Extensio quaedam circumfinita venarum plus minusve pathologicè mutatarum in universum nomine „varix“ significatur. Affectiones tales morbosae paulatim exoriuntur et inaequales, circumscriptos, coeruleos vel nigros efficiunt tumores, qui digitis compressi evanescent, sed subito, illis retractis, redeunt. Qui varices, coniuncti cum specifico, qui pressione provocatur, dolore, molestis cum tensionibus, quin etiam doloribus vehementissimis, iis in partibus, in quibus iam statu normali sanguinis refluxui haud parva difficultas obstat, (exempli gratia in venis extremitatum inferiorum, intestini recti et praesertim in venis funiculi spermatici) plerumque sese ostendunt. Si igitur illa morbosa extensione, venae plexus, qui nominatur Pampiniformis, et morbo ingravescente etiam scroti affectae sunt, huic malo nomen Varicoeles vel Cirsoeles indutum est. Quo de morbo hoc in opusculo disserere nobis proposuimus. —

Voces „Varicoele“ et „Cirsoele“ vario sensu imbutae sunt. Quidam chirurgi hasce notiones dispescunt, prout varicositates aut in venis scroti, aut in vasis spermaticis inveniuntur, illud morbi genus varicocelen, hoc vero, varicositatem dico funiculi spermatici, testis

et epididymidis, Cirsoceles nominant. Attamen hanc notionum diversitatem in ipsa natura morbi positam esse affirmari nequit, quoniam, praegressis varicibus funiculi spermatici, scroti varices existunt; varicocele igitur illo sensu supra indicato, nonnisi consecutio sive complicatio Cirsoceles, numquam vero genus proprium morbi est. — Haec res quomodocunque se habeat, nos vocabulum „Varicocele“ retinemus, et si hic illic vox Cirsoceles invenietur, synonymam Varicocelae habeas.

Orditur Varicocele semper a funiculo spermatico et prima eius symptomata, etsi morbus omnino haud ita difficulter dignoscitur, minus in aprico sunt, quam plurimorum aliorum morborum esse solent. Quidam enim aegroti subito hoc morbo afficiuntur, haud animadversis signis sive symptomatibus; nonnulli antea specificum illum sensum gravitatis, pressionis accusant; maxime vehementes praeter funiculum spermaticum et in regione sacrali percipiunt dolores, qui nonnumquam usque ad regionem renalem pertinent; stuporem insolitum inde a femore usque ad genu lateris morbo affecti, defatigationem gravem, dummodo vires leviter intenderint, necessitatem quandam molestam, manibus scrotum contrectandi, quo melior iis detur positio etc.; quae omnia consueta signa sunt praecedentia. Si accuratius investigaveris genitalia, invenies massam quandam insolitam, per cutem scroti languide dependentis funiculos nonnullos tumidos atque tactu duros.

Aegroti caute omnes causas vitante, quae efficiant, ut morbus increseat, Varicocele multos per

annos hisce symptomatibus continetur, et molestiae, quae non probe morbus vocari possunt, suspensorio adhibito levantur tollunturque. Sin autem aegrotus, gravitatem mali despiciens, quod saepe fit, aptam modelam negligit, morbus indies ingravescens molestus atque maxime periculosus redditur.

Massa quaedam mollis, palpitans, quae neque formam tensam regularemque Hydroceles, neque duritiem et terminos circumscriptos Sarcocèles, neque soliditatem herniae inguinalis habet, inde a testiculo usque ad anulum inguinalem externum sese extendit. Quum manum applices, in hoc tumore animadvertes aliquot tortos, aliis in locis duriores, aliis molliores funiculos, viginti vel triginti saepe numero. Qui sensus simillimus est ei, qui percipitur contrectatione funis evoluti, vel fasciculi lumbricorum terrestrium, vel intestinorum avium. Hic venarum glomerulus, maximus in inferiore funiculi spermatici parte, ad magnitudinem capitis infantilis evehi potest, ita quidem, ut stantis aegroti testem et ductum deferentem vix explores. Sin autem aegrotus horizontalis recubat, vel si compressio adhibetur, tumor diminuitur et similitudinem accipit herniae omenti, imo evanescit, nisi est gravior, subito tamen, simulac compressio tollitur, redit; tussi, inflationibus, obstructione alvi, nimis cibus, magnis corporis contentionibus, calida tempestate, stando accrescit.

Cum augmento tumoris dolorum incrementum procedit. Gravitatis sensus, tensio, aliaque symptomata, quae supra memoravi, vix tolerantur. Nonnulli vehe-

mentissimis, ferventibus, mordentibusque vexantur doloribus, qui praecipue, si aegrotus longum per tempus erectus stat, vel laborat, ita augescunt, ut aeger omnino negotiis suis administrandis reddatur inhabilis. Quamquam interdum fit, ut morbus etiam in hoc stadio et serius haud ita difficilis aegroto appareat, plerumque tamen adeo acres sunt dolores et coniuncti cum sensu ita deprimente Hypochondriae et Melancholiae, ut aegri quovis pacto a malo sese liberari cupiant. Fricke, Velpeau, Wutzer, alii mentionem faciunt casuum, ubi malum aegroto vitam reddiderit molestam, et Landouzie narrat, sese observasse aegrotum, qui mortem sibi consciscere propensus fuerit.

Testiculus lateris aegri, qui initio resistentiam quandam et durtiem habet, maiorem mollitiem, quam statu normali, digito prementi ostendit, si longius procedit morbus, admodum mollis, instar farinae, fit. Saepe celerrime minuitur, decrescit, postremo ad functiones suas exsequendas fit inhabilis, quum eodem modo, quo venae maiores sese extendunt, etiam ramificationes minimae dilatentur, detrimento substantiae scroti augeant eumque omnes in partes comprimant, ita ut in inferiore ac posteriore angulo venarum tumoris ceu parvum rudimentum vix cernatur atque appareat. Aliud pathognomonicum symptoma, quod fere numquam desideratur, et ad quod primus Landouzie animos attendit, aucta secrelio cutis scrotalis externae in latere affecto est, interdum coniuncta cum intense spermatico odore.

Breviter igitur symptomata exposuimus, quae varicocele prae se fert; ex quibus cognoscimus eius diagnosin perquam facilem esse, huncque morbum cum aliis malis, ut Hydrocele, Sarcocele etc. vix posse confundi. Jam insuetus sensus, quem singuli funiculi tactu praestant, eius diagnosin extra omnem dubitationem collocat. Tunc tantum difficilis est, quum Hydrocele et Cirsocele eodem tempore adsunt, (quae res non raro observata est), ubi Cirsocele, ante quam evacuationem ope punctiois institueris, dignosci non potest.

AETIOLOGIA — GENESIS.

In aetiologia Varicoceles etiam nunc multa obscura sunt et persaepe iudicari non potest, quidnam eae causae, quae plerumque enumerantur, ad eam provocandam conferant. Satis inter omnes constat, omnia illa impedimenta, quae refluxui sanguinis in venis obstant, varices efficere.

Iam vero nusquam constructio anatomica magis ad impediendum refluxum sanguinis venosi efficiendamque dispositionem varicosam apta est, quam apud venas plexus Pampiniformis. Testis enim, Scrotum, funiculus spermaticus, omnia haec organa in inferiore trunci parte situm tenent haud fultum, pendulum, fere perpendiculararem. Propter hunc situm pendulum, propter deficientis fulcrum et ob pondus proprium, testes semper trahunt deorsum vasa funiculi spermatici, qua de causa vasa, quae canalem inguinalem permeant, ad os pubis apprimantur, quemadmodum, ut verbis Louis Petit

utar, funis in orbiculo putei, ita ut testiculum comparare possis situlae in extremo fune pendenti. Sunt etiam vasa funiculi spermatici omnino longa et multipliciter tortuosa. Columna sanguinis, quum non fulciatur, deorsum premit, quae tantummodo vi muscoli cremasteris, tunicae vaginalis ipsorumque vasorum vi sursum simulque pellitur ac promovetur, ita ut secundum leges hydraulico-mechanicas in iis tardam sanguinis circulationem exoriri necesse sit. Absurdum foret dicere, arterias iisdem rationibus sese habere. Etenim ad refutandam illam objectionem, id solum cogites velim, quanto maiorem parietes arteriarum praebeant facultatem resistendi, quam venarum, cogites sanguinem arteriosum talem habere directionem, ut adiuvet eius circulationem. Constructionem anatomicam et situm venarum spermaticarum nonnulli causam dixerunt, quod morbus saepius in sinistro, quam in dextro latere appareat. Quidam, in quibus etiam est S. L. Petit, flexuram sigmoideam coli accusant, quae praecipue, duris faecibus impleta, compressionem venarum efficiat, qua compressione circulatio impediatur.

Morgagni et Cooper causam dicunt esse in eo, quod vena spermatica lateris dextri in venam cavam adscendentem directione fere parallela cum illa sanguinem emittat, qua re facilius immissio sanguinis reddatur, dum vena spermatica sinistra in venam renalem sub angulo fere recto transeat, ita ut hoc in latere fluxu sanguinis utroque plane diverso circulatio turbetur. Sunt etiam, qui maiorem longitudinem venae sper-

maticae sinistrae, quae efficitur profundiori situ Scroti et altiori ostio, causam esse dicant. Illa supra indicata dispositio, posita in propria illa structura anatomica, magis etiam ea re augetur, quod sanguinis interdum maiore ad hasce partes profluit impetu, qui eo vehementior est, quo magis Individuum ad pubertatem accedit, qua aetate functionum harmonia nondum habet debitam stabilitatem, libido coitum exercendi ceteras omnes functiones vi superat. Si igitur hac in libidine, recens exorta, modus exceditur, graviora organismo detrimenta afferri debent, quum eius functiones nondum sint rite consolidatae. Quae quum ita sint, satis elucet, minimum etiam abusum Veneris, vel minimum gradum manstuprationis, vel appetitus libidinosos malum provocare posse. Nam haec peccata partim debilitant ipsam vim vitalem, musculos, praesertim Cremasterem et tunicam dartos fatigant enervantque; quare eorum vis atque facultas sese contrahendi minuitur et scrotum ponderi suo relictum vasa cum intensitate ad os pubis apprimat; partim autem nimio sanguinis impetu lumen vasorum plus minusve amplificatur extenditurque; quo facto etsi initio vasorum vis ad propellendam columnam sanguinis sufficit, tamen mox stasis in apparatu venoso oritur necesse est.

Hoc igitur satis certum est, cupiditates libidinosas, abusum veneris, manstuprationem saepissime malum elicere, quamquam negari non potest, alias adesse causas, quae ad provocandum malum, praecipue si adsit dispositio generalis, aptae sint. Quo plures causae oc-

casiones eodem tempore concurrunt, eo rapidius vehementiusque hoc malum intrare solet. Quae contemplanti mihi haud ineptum videtur, eas in duas dividere classes, quarum altera eas complectitur, quibus sanguinis affluxus ad organa genitalia augetur, altera autem, quibus refluxus sanguinis impeditur. Si causas supra expositas exceperis, quae proprie illis duabus classibus comprehenduntur, priori etiam adnumerabis contusiones scroti testisque (unde fit, ut Varicocele tam saepe apud equites inveniatur) itemque inflammationem testiculi scrotique, sive est idiopathica, sive symptomatice. — Ad alteram autem classem pertinent in abdomine tumores, qui mediate aut immediate vasa spermatica comprimunt, ut prae aliis indurationes hepatis, lienis, renum, obstructio glandularum mesentericarum; porro adnumerandae sunt herniae inguinales cruralesque aut congenitae aut acquisitae, tum quoniam immediate vasa comprimunt, tum quoniam compressione aperturae internae canalis inguinalis circulationem sanguinis venosi in scroto impediunt. Calculi vesicae, plethora abdominalis, atrabilis, Infarctus, obstructio habitualis alvi, Hydrocele et Sarcocele, fascia male iniecta, compressione venarum malum provocare et augere possunt.

Quod attinet ad constitutionem, quae praecipue ad mali originem praedisponit, tabulae statisticae quidem ostendunt, unamquamque constitutionem, omne temperamentum, si causae sufficientes affatim praecesserint, malo corripri posse. Attamen negari nequit, debilem,

lymphatico - venosam constitutionem praebere causas aptissimas ad malum producendum.

Difficilius etiam est exploratu, quaenam vitae conditio, quodve negotium dispositionem ad Varicocelen afferant. Dicuntur praecipue ii obnoxii esse huic malo, qui vitam umbratilem degunt. Extra omnem dubitationem positum est, illos maiori periculo expositos esse contusionis Scroti, quam multos alios; apud hos obstructio alvi habitualis saepe sese ostendit, quae res, si constitutio adest ad Varicocelen vergens, si saepius peccatur in Venere, originem Varicoceles accelerare possunt.

Probabiliora dicere possumus de aetate, qua praecipue varicocele invenitur. Tabulae Landouzie aliorumque statuunt, creberrimam esse varicocelen aetate annorum X — XX, illo igitur tempore, quo functiones organorum generationis nondum satis sint consolidatae, et exercitium praematurum nimiumque celeriter et facile illos morbos inducere posse, quos hac aetate tam saepe observare consuevimus.

CURATIO.

Ut omnium morborum fere chronicorum, ita Varicoceles curatio duplex est; una incommoda morbi leniens, altera eum ipsum extinguens. Illam primum paucis memoremus. Jam supra retuli, malum per annos subsistere posse immutatum, nec damni neque etiam incommodi quidquam afferens. Talibus in casibus tam vehementem cum ipsius vitae periculo saepe coniunctam

euram, quae morbum tollendum respicit, non esse instituendam, satis patet. Tunc tantum, si opus est, incommoda lenienda. Prae ceteris autem, ne crescat malum, est providendum. Itaque medicus et occasionis et dispositionis studeat investigare causas, inventas removeat. Removeatur igitur fascia hernialis haud commode applicata; ubi sunt in abdomine tumores, dentur resolventia, ut tartarus tartarizat., extractum graminis, taraxaci, bibenda imperetur copia aquae frigidae. Ubi vitam degit sedentariam aegrotus, multum sub Divo versetur; ubi laborat plethora abdominis et obstructione alvi habituali, cibos potissimum sumat vegetabiles et laxantia refrigerantia. Vires, libidinum nimio exercitio valde debilitatae, instaurandae sunt china, acidis mineralibus, remediis nutrientibus, praeterea a coitu est abstinendum. — Tali modo causis, ubi apparent, quantum fieri potuit, remotis, restat, ut perdita illarum partium vis sese contrahendi, quam tonum vocamus, in integrum restituatur. Quod quidem efficies assiduis embrocationibus, lotionibusque frigidis ex aqua saturnina, solutione aluminis, decoctis aromaticis etc., Vesicantia etiam scroto imposita magno sunt usui. Praeterea aegrotus vitae sequatur rationem temperatam, neque strenue laboret, neque eundo aut stando nimium indulgeat necesse est. Remedium autem omnium fere maxime efficax est suspensorium, imprimis sericum, quo testiculi commode sustentur. — Praetermittendae mihi non videntur operationes quaedam ab sublevandas Varicoceles molestias; quibus methodis exempli gratia

adscribenda est illa a Cooper proposita, qui omnes rationes ad Varicocelen radicitus sanandam inventas perhorruit periculosas et insanas. Haud parvam scroti relaxati partem excidit, vulnerisque margines sutura nodosa coniunxit. Quum enim nimiam scroti relaxationem gravissimam huius mali causam haberet, scroto diminuto venas varicosas ad functiones normales redigere studuit. Etenim negari non potest, magnam scroti relaxationem, quae semper fere adest, multum venarum dilatationem iuvare. Neque tamen malum eam provocare, quisquam merito contendat. Relaxatio scroti et dilatatio venarum ex iisdem causis originem capiunt; ubi adsunt, invicem se adiuvant, quo facto parte scroti excisa ea tantum causa, quae alit, non quae profert malum, removetur.

Wormwaldus, aegrotum per aliquod tempus in lectulo cubante, ut venae quantum potest sanguine liberarentur, inferiorem Scroti partem annulo argenteo, corio obducto, tam arcte circumdedit, ut pars illa immissa non posset elabi; quae torsio quotidie repetebatur.

Quamquam veritatem excedunt, quae dicit Grossheim „die Varicocele kann nicht anders als durch eine Operation geheilt werden“ tamen omnes chirurgi consentiunt, nulla complicatione prohibente, operationem esse instituendam, ubi morbus ad tantum processerit vehementiam, ut aegrotum officio suo satisfacere non patiat, ubi dolor magnus, ubi animus tum dolore, tum inpotentiae conscientia maxime sit afflictus, denique ubi ex vasorum tono perduto et scroti relaxatione sper-

matorrhoea adsit, vires rapide consumens. Sin Varicocele est malum aliorum morborum graviorum vicarium, si generalis adest ad varices dispositio, si venae cruris, pelvis et haemorrhoidales tument, si ex organico quodam abdominis morbo, imprimis hepatis et venae portae, originem cepit malum, tunc nisi causis prius remotis, operationem omittas. Ubi autem tumores abdominis vel pelvis maligni Varicoceles sunt causae aut complicationes, nullo pacto operationem suscipias. —

Ad morbum igitur radicitus exstinguendum iam ex Celsi temporibus variae sunt adhibitae methodi; quae omnes, castratione tantum et ea, quae auctore Amussat arteriam spermaticam internam ligari iubet, excepta, venas dilatatas processu adhaesivo invias reddere student. Talem igitur in membranis venarum provocant gradum inflammationis, ut lympham in vasis lumen exsudetur viva, quae cum sanguine coagulato thrombum formet vas obturantem. Postea thrombi una pars resorbetur, altera in telam cellulosa mutata venae parietes conglutinat. Quo facto paulatim in tenue vena mutatur filum, neque amplius duros illas restes invenis. Sanguinis fluxus eo in integrum restituitur, quod rami collaterales, thrombo non obturati, amplificantur et venae obsoletae functiones suscipiunt. Quae omnia si rite eveniunt, malum penitus est abolitum, neque enim potest in vasis inviis id redire, neque, in ramis collateralibus unquam fuisse recidivum, praesto est exemplum. Omnes igitur methodi mirum in modum in eo congruunt, quod venae inflammatione oblitterantur. In modo

autem et ratione, qua hoc efficitur, varietas est maxima. Una in propinqua et superficie externa venarum excitat inflammationem, quo facto primum parietibus venarum crassioribus redditis lumen diminuitur, deinde autem inflammatione gradatim ad partes internas progrediente eas paulatim obturatur, thrombusque formatur. Secundum alteram methodum vena sensim dissecatur, ita ut inflammatio vulnus inflictum secuta in omnes venae membranas incumbat; tertia denique methodo filum ad superficiem vasis internam sanguinemque ipsum allatum huius undam reiicit; itaque thrombum provocat venam oblitterantem. —

Restat igitur, ut Varicoceles curandae methodos perlustremus et inter se comparemus, atque quae sint singularum commoda et incommoda, et quae earum sit optima, pro ingenio nostro, hisce in rebus minus exercitato, exponamus. —

Nullus certe chirurgus arteriae spermaticae internae ligaturam aut Castrationem adhuc instituet. Verum enimvero ligatura spermatica interna et venae et ipse testiculus obsolescunt propter affluxum sanguinis impeditum. Amussat, qui hac methodo praecipue est usus, incisionem fecit unius vel duorum digitorum sub annulo inguinali in regione funiculi spermatici, aperuit tunicam vaginalem; dein arteriam seiunxit, bis ligavit et inter ligaturas dissecuit. Etenim tali modo nisi etiam ramis, quos mittit sub ipso angulo inguinali ligatis, testiculus non oblitteratur. Quodsi autem magnam hanc operationis difficultatem non respiciamus, tamen certe

res est ardua; malum non exstinguitur, nisi tam generosa corporis parte amissa. Praeterea ipsius Amussatii testimonio semper fere vehementer valetudo operatione turbata, et grave oedema, interdum etiam abscessus gangraenosi scroti secuti sunt; quo facto haud immerito haec methodus plane deserta est. —

Qui castratione quondam usi sunt, utilitatem huius methodi in eo ponunt, quod testiculus per se iam ad generandum inutilis, quod dolor tam vehemens, animi depressio tam gravis sit, ut quovis pacto a malo se liberari cupiat aegrotus. Constat autem, testiculis remotis, animum non minus esse afflictum, quam fuit antea, quam aliis methodis minus periculosis et gravibus adhibitis sanatio fere certa sit, atque malo extincto et testiculorum validitatem et pristinam animi hilaritatem in integrum restitui, plurimis probetur exemplis.

Methodi igitur, exceptis illis supra reiectis, optima maximeque cognitae, quae ad malum radicitus exstinguendum spectant, hae sunt:

1) Exstirpatio venarum varicosarum,

Celsus ea primus usus est, quem minori vel maiori variatione alii secuti sunt. Ratio huius operationis in universum fere haec est: Integumentis funiculi spermatici ad eius directionem persectis venae varicosae a vasis integris caute separantur, deinde circa superiores et inferiores venarum fines ligaturae ponuntur et partes, inter has duas ligaturas positae, exstirpantur, vulnerisque margines emplastro adhaesivo junguntur.

2) Ligatura

a) post cutis scrotalis incisuram.

Ad venas obliterandas, auctore C. Bell, ligatura unius vel plurium, non vero omnium venarum sufficit, quare ille chirurgus hancce operandi methodum adhibuit. Supra funiculum spermaticum incisuram per scrotum in plicam elevatum transversalem, deinde cautissime per tunicam vaginalem et cremasteris fibras usque ad venas varicosas perducit. Quo facto, unam, quae quam maxime amplificata est, venarum a ceteris seiunctam, filo circumdat, et fili fines bis supra venam colligat. In gravioribus huius mali gradibus plures venae hoc modo tractantur.

Delpech alio modo venas obliterare studuit. Fecit incisuram scroti unius digiti, deinde boletum igniarium digitum dimidium latum et duos digitos longum seiunctis venis subiecit, ita ut fines eius, quos emplastro adhaesivo firmavit, supra vulneris margines prominere. Quo facto, in superficie venarum et tela cellulosa propinqua orta est inflammatio, quae ad partes internas progressa venas obliteravit membranarum earum internis non laesis. Quatuor diebus elapsis boletus est removendus. — Transitum ad ligaturam subcutaneam methodus sistit, quam Regnauld proposuit. Vase nempe deferente et arteria spermatica caute semotis, pollice et indice sinistris omnia vasa cum adiacentibus scroti partibus tollit, pone quae filum ceratum perducit, cuius fines supra brevem et crassum cylindrum linteum connectit. Postea supra novum cylindrum altius nectuntur,

quod repetitur, donec vasa omnia seiuncta sunt. Cutis adhuc integra, remota ligatura, cultro dissecatur.

b) Ligatura subcutaneas, methodus, quam Ricordii ingenium invenit. Ad operationem instituendam duae acus maiores sunt necessariae, quarum una minor paululum curvata, altera maior, teres, recta est. Per foramen cuiusque filum duplicatum, crassum, sericeum, decem vel duodecim digitos longum, unum cum finibus, alterum cum capite ansae ducitur. Vase deferente et arteria spermatica a venis varicosis accurate seiunctis, hae una cum plica scroti attolluntur et acus curvata, caput ansae gerens, subter eas deducitur, deinde altera acus recta, quae fert fines ansae, ita supra venas protrahitur, ut ineundo et exeundo iisdem ictibus, quos fecit altera acus, utatur. Qua re vena sub cute inter fila duo duplicata est sita atque ex utraque punctura et caput et fines ansae dependent. Deinde in utroque latere fines fili per caput ansae alterius mittuntur, contrahuntur et tali modo vena ipsa ab omni latere comprimitur. Quae compressio sensim sensimque adaugenda est. — Nonnulli chirurgi venas statim arcte neclit optimum censent, quum, nervis plexus Pampiniformis non celeriter dissectis, trismus compressionem sequi possit. Dissectio autem venarum non est timenda, quum non solum elasticae, sed etiam tela cellulosa sint circumvolutae. Quum immissione alterius acus cutis vel vena facillime laedatur (quare dolores suppurationesque oriuntur et dignitas operationis subcutaneae turbatur), Pitha adhiberi sua-

sit acum teretem cum acie obtusa, quae quidem optime inter venam et cutem duci, minime vero in densum corium immitti possit. Die septimo vel decimo Ricord removet ligaturam; prius est removenda, si nodus initio iam firmiter est nexus. Ceterum aegrotus, sicut post omnes hasce operationes, in lecto cubet horizontalis, cibos sumat antiphlogisticos et suspensorio testiculorum utatur oportet. —

3) Punctio varicoceles, methodus, qua usus est Fricke. Qui quidem, aegrotum commode locato, digitis manus sinistrae venam varicosam una cum Scroto tollit et acu filum oleo illitum per scrotum et venam ipsam ducit. Fines filii haud stricte connectit. Tali modo haud plura applicavit fila. Quinque diebus post inflammatio resolvitur et oblitteratio venarum efficitur.

4) Compressio. Venas dilatatas compressione reddere invias, primi tentarunt Davat, Frank et Velpeau. Postquam autem Brechet forcipem illam, quae nunc etiam eius nomen gerit, invenit, saepissime haec methodus est adhibita. —

Davati et Frankii praecepta ad operationem instituendam fere haec sunt: postquam digitis venae varicosae seiunctae sunt, subter venam acus deducitur, quae filo sub forma ∞ , sicut in sutura circumvoluta, circumdatur. Quadraginta octo horis elapsis acus removetur, quo tempore aegrotus ad scrotum sustentatum fomenta applicet frigidissima, necesse est. — Methodus,

quam Velpeau proposuit non multo ab illa, quam explicavi, differt.

Vidal duo fila argentea, platinea vel plumbea, eodem modo, ut fit in ligatura subcutanea, unum infra, alterum supra venas ducit et fines eorum forcipe ita torquet, ut venae varicosae comprimantur et circa fila volvuntur. Qua re, venis compressis et brevioribus redditis, testiculus annulo abdominali aporpinquatur. Haec methodus ipse auctor nominat „Enroulement“.

Brechet, quum venarum compressionem immediatam gravior soleat sequi valetudinis afflictio, forcipe a se iuventa venas una cum scroti parte compressit. Primum duabus usus est forcipibus, quarum unam digitum dimidium sub altera applicuit. Remanserunt, quoad cutis dissecta et venae obsoletae essent. Forcipes autem id detrimenti habuerunt, ut magnam scroti partem dele- rent, itaque vulneris duplicis aegre tantum conglutina- rentur margines, qui quaque penis erectione et testiculi pondere disiungerentur. Landouzie forcipem illam ita contraxit, ut lotus quidem tumor varicosus eadem circumdaretur, scroti autem pars remaneret intacta. Fecit enim in forcipis quoque brachio incisuram, alteri oppo- sitam atque in spatio, tali modo exorto, scrotum posuit. Hanc a Landouzie propositam emandationem, Brechet recipit, operandi methodum exhibens, quae fere haec est: Venis varicosis ut faciliusprehendantur, aut eundo, aut adhibito balneo calido sanguine impletis pubeque tonsa, medicus ad vas deferens a venis seiungendum manu dextra vel sinistra, prout varicocele est dextra

vel sinistra, dimidium scrotiprehendit, ita quidem, ut index et digitus tertius ad posterius, pollex autem ad anterius scroti latus adiaceant, et ceteri eiusdem manus digiti testiculum fuleiant. Digiti alterius manus simili modo ad alterum scroti dimidium apponuntur. Vas deferens, quod situ suo in posteriore funiculi spermatici parte, consistentia dura elasticaque, dolore, qui pressione efficitur, proprio, facillime dignosci potest, pollice et indice unius manus septum versus retinetur, venae autem ab eo separatae eodem tempore digitis alterius manus ad scrotum removentur. Penis, ne erectiones, quae fere semper sequi solent, cute nimis tensa dolorificae reddantur, a socio aliquo ad abdomen tollitur. Quo facto, in applicandis singulis forcipibus, quam ad rem nunc iam pergitur, id cavendum est, ne superior altius apposita peni excoriationes afferat, inferior autem testiculumprehendat. Brachia forcipum rite adhibitatum totam scroti affecti latitudinem prope ad septum, vase deferente excluso, torquere debent et prout status aegrotarum partium expostulet, comprimuntur.

Iam expositis omnibus methodis ad sanandam Varicocelem adhibitis, restat, ut de earum utilitate paucis disseramus, ut comparatis iis inter se, quae sit nostro iudicio praestantissima, fiat manifestum. Qua quidem in re hoc maximi habendum est momenti, quaenam incommoda operationem sequantur, aut sequi possint. Exceptis ligatura arteriae spermaticae, castratione et extirpatione, omnes methodi, ut supra iam dictum, inflammationem excitare tendunt, quae exsudatis plasticis

venae parietes conglutinet. Quae venarum inflammatio adhaesiva per se quidem insons, tamen propter exitum in suppurationem interdum est periculosissima. Talis exitus plerumque lethalis pristinis temporibus saepissime operationes est secutus. Quo factum est, ut celeberrimi nonnulli et praeteritae et nostrae aetatis chirurgi, Varicocelen intactam relinquendam esse putarent. Quodsi casus hoc modo lethales accuratius reputamus, duae potissimum causae, exitum hunc fatalem efficere posse videntur. Una ubi magnum vulnus inflictum est, quod suppuratio profusa et diffusa telae cellulosae per saniem deletio sequi soleat, altera, ubi venae operatione nudatae aëri aliisque viribus nocentibus sint expositae. Cui quidem rei maxime videtur respondere observatio, totalem exstirpationem Celsi, et excisionem maiorum partium Varicoceles, deinde methodos, quibus Cooper, Bell, Delpech, Regnauld uterentur, saepius, quam alias secutam esse phlebitidem suppurativam. — Haud immerito igitur hae methodi sunt reiiciendae.

Celsi operatio, quodsi periculum, in quod vocari soleat aegrotus, non amplius respiciamus, est difficillima; nec morbum penitus semper exstinguit, neque, quin fiat recidivus, impedit. — Quid de excisione secundum Cooper censeamus, supra iam commemoratum est. Methodi Bellii, Delpechii, Regnaulii, qui venas varicosas, scroto inciso, ligant, multorum testimonio exstirpatione haud minus videntur perniciosae. Ipse Bell postea operationem suam reiecit, neque Delpech

methodum suam phlebitidem, puris demissionem, inflammationem funiculi spermatici, ad abdomen progredientem, saepe secutam esse, negat. Discipulus eius F. Frank dicit: „Saepe operationem graves affectus sequi vidimus, ut inflammationem diffusam, gangraenam, abscessus, phlebitidem suppurativam, ut hanc methodum relinquere debeamus“. Wutzer phlebitidem quidem sustulit, attamen ceteri affectus tam graves fuerunt et periculosi, ut ab operatione instituenda deterrearis. Etiam methodis a Davat, Frank et Velpeau nobis propositis nimia interdum et periculosa excitatur inflammatio. Davati experimenta in animalibus instituta (Archiv. gen. de Médecin. 1833. T. ii.) docuerunt, acus immissionem in scroti cutem pone venam spermaticam non omni carere periculo. Inflammatio gravis, febris vehemens, abscessus, suppuratio, phlebitis, mortificatio scroti inter ictus acus, quae sequi vidit Velpeau, certe institui operationem hoc modo non suadent. — Neque modum et gradum compressionis, quam fila in acum exserunt satis metiri licet. Si filum firmiter circa acum volvitur, parietes venae nimis laeduntur, si contrarium fit, circulatione sanguinis non plane sublata, oblitteratio non evenit. — Methodum, qua utitur Fricke, similia saepe incommoda secuta sunt, etsi phlebitis rarius tantum, ea adhibita, appareat. Blasio autem teste radicitus non semper ea malum tollit ac propterea in levioribus tantum casibus exusui est. — Enroulement Vidalii semper fere phlebitidem lethalem, aut funestam telae cellulosaesubcutaneae suppurationem efficit. —


Quibus malis eventibus ab hisce methodis deterriti, Brechet et Ricord suppurativae venarum inflammationi eo occurrere studuerunt, quod tum venas ipsas non laederent, tum aërem ab iis prohiberent. Atque vera methodus Brechetii et ligatura subcutanea Ricordii, quum et facillime sint adhibendae et malum certo fere et sine periculo extinguant, omnium optimae et praestantissimae sunt habendae. —

Brechetii operandi ratio eo excellit, quod sensim vas dissecat, quod cute adhuc intacta sanguinem in vena ad coagulationem adigit, ita ut, inflammatione a partibus externis ad venas progressa, obliterationo iam sit perfecta ac propterea exsudata et pus in sanguinem recipi non possint. Praeterea nec fluxus sanguinis in arteriis, nec sustentatio testiculi et funiculi spermatici ullo modo est impedita, quum arteria spermatica et vas deferens a venis seiuncta forcipe non tangantur. Sin arteria spermatica nihilominus, contorqueatur, rami eius anastomatici e pudenda interna et ramus pro funiculo spermatica ex arteria epigastrica testiculi nutritionem suscipiunt. Neque tamen hoc loco est omittendum, in applicanda et removenda forcipe dolores saepe oriri vix tolerabiles et escharas interdum existere tam profundas, ut, suppuratione iis solutis, scrotum dissectum et funiculus spermaticus nudus appareat. Cicatrisatio vulneris lente procedit, febris interdum est vehementissima et saniem resorberi posse, etsi raro tantum id acciderit, negare non licet.

Venimus igitur ad ligaturam subcutaneam Ricor-

dii, ad illam methodum, quae omnes supra dictarum virtutes complectitur, omnium autem minima praebet incommoda. Huius methodi ratione vena ab omnibus partibus aequali modo comprimitur et ob singularem illum filorum nexum medico licet, ubi opus sit summa cum facilitate et sine torsione maiori vel minori vehementia eam comprimere. Hac totali circulari ligatura venae lumen certissime tollitur; oritur enim sanguine infra et supra ligaturae sedem coagulato inflammatio, quae non solum circumscripta, minime ad vicinas partes extenditur, sed etiam exsudatione plastica finitur. Quae etiam inflammatio semper est salutaris et ad obliterationem necessaria, quum omnia, quae ad phlebitidem suppurativam provocandam efficacia sint, certissime excludat. Venae enim hoc modo tractatae aëri atmosphaerico, quae res maximi est momenti, non exponuntur, neque, id quod in plurimis supra enumeratis methodis occurrit, a partibus adiacentibus rudi manu seiunguntur, neque, quae vituperatio illam praecipue Brechetii methodum respicit, tensioni laterali subiectae sunt. Nihilominus vero compressione peripherica aequali venarum lumen certissime et exactissime oblitteratur. Atque etiam experientia docuit, hac operandi methodo numquam phlebitidem provocatam esse. B. Langenbeck, praeceptor noster praeclarissimus, plus quam vicies hac ratione optimo cum eventu operationem instituit, neque unquam recidivum morbum observavit. — Praeterea haec methodus eo est praestantior, quod facillime instituitur, vulnus sistit minimum; ceterum ab-

scensus suppurationesque non sunt metuendi, cicatrisatio vulneris post breve temporis spatium intrare solet, et phaenomena reactionis plurimis in casibus facile superantur. Quae res hanc methodum ceteris multo meliorem reddunt, ita ut omnibus accuratissime perpensis et comparatis ei palma sit deferenda. —



V I T A

Natus sum ego J. C. Aemilius Stachelscheid die XXV. mensis Septembris a. h. s. XXVI, Drolshagen, oppido Guestphaliae, patre Gustavo, matre Maria, e gente Nockenbergh, quam praematura morte mihi ereptam lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Prima litterarum elementa edocius Progymnasium adii Attendornense, quod rectore Wiedmann adhuc floret. Quinque annis post Coloniam petii, ibique Gymnasium cui Ill. Birnbaum praeest, per tres annis frequentavi. Testimonio maturitatis instructus sub finem mensis Octobris a. 1847 ad aliam litterarum universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli, et a rectore Magnifico van Calker receptus, nomen dedi Ill. Weber, decano t. t. spectatissimo gratiosi medicorum ordinis. Bonnae per triennium interfui lectionibus his:

de anatomia Ill. Mayer et Weber; de anthropologia Cel. Schaaffhausen; de encyclopaedia et methodologia Ill. Naumann; de physice experimentalis Ill. Pluecker; de botanice Ill. Treviranus; de mineralogia Ill. Noeggerath; de zoologia Ill. Goldfuss; de logice, de psychologia Ill. van Calker; de chemia experimentalis Ill. Bischoff; de physiologia Cel. Schaaff-

hausen; de pathologia et therapia generali Ill. Naumann; de pathologia et therapia speciali Ill. Albers; de materia medica, de arte formulas medicas rite concinnandi Ill. Albers; de anatomia chirurgica, de chirurgia generali et speciali, de akiurgia Ill. Wutzer; de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis Ill. Kilian; de pathologia et therapia speciali, de morbis animi, de officiis medicorum Ill. Nasse, quem adhuc iam demortuum lugemus, de fracturis et luxationibus Cel. Hoppe.

Practicis exercitationibus me instituerunt Ill. Mayer et Weber arte cadavera secandi; Cel. Hoppe arte fascias rite imponendi; Ill. Wutzer operationibus ophthalmiatricis; Ill. Kilian exercitationibus obstetriciis in phantomate instituendis. Scholis clinicis interfui: propaedeuticis, medicis Ill. Nasse; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Wutzer; obstetriciis Ill. Kilian.

Tentamine philosophico superato, sub finem Octobris anni 1850 Berolinum me contuli, ubi a rectore Magnifico Twesten et a decano summe spectabili Ill. Busch receptus, has frequentavi scholas:

de anatomia pathologica Exp. Reinhardt; de akiurgia, de morbis organorum uropoëticorum, de tumorum pathologia Ill. Langenbeck, de medicina forensi Ill. Casper, de auscultatione et percussione Exp. Traube, de morbis mulierum Exp. Credé. Exercitationibus clinicis his interfui: medicis Ill. Schoenlein, Ill. Romberg, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Langenbeck, obstetriciis Ill. Schmidt.

In operationibus chirurgicis instituendis dux mihi fuit Ill. Langenbeck.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis maximas habeo gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque palam defensis a gratioso medicorum ordine summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Omne animal ex ovo.
2. Strepitus placentaris sic dictus non in placenta oritur.
3. Rei medicae notitia quaedam profanis plus nocet, quam prodest.
4. Ulcus syphiliticum primarium initio est morbus localis et remediis localibus sanandum.
5. Inter scrophulosin et tuberculosin nil discriminis.

